

UNIVERSITY OF TORONTO  
CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

M.A. Level Medieval Latin Examination

April 9, 1990

Translate ALL passages. The examination has been sent for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

---

1. ESTHER INVITES THE KING TO A BANQUET

Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, et stetit in atrio domus regiae, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius, et extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quae accedens, osculata est summitatem virgae eius. Dixitque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quae est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, et Aman tecum, ad convivium quod paravi. Statimque rex, Vocate, inquit, cito Aman ut Esther obediat voluntati.

Venerunt itaque rex et Aman ad convivium, quod eis regina paraverat. Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? et pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

...2/-

## 2. EDMUND OF CANTERBURY COMMENTS FOR MONKS ON A LEMMA FROM PAUL

Videte vocacionem vestram. Verbum hoc Apostoli precipue competit religiosus, quod ipsos excitat ad vite perfectionem per crebram sui considerationem. Quociens meipsum considero ex una parte multum gaudeo, ex alia vero multum doleo. Gaudeo plane pro sancta religione; doleo pro mea debili et imperfecta conversacione. Nec est mirum: dicit enim beatus Eusebius in quodam sermone, "Religionem intrare summe perfectionis est; imperfecte in ea vivere summe dampnationis est."

Unde religioso summe necessarium est vivere perfecte, id est, ad viam et formam perfectionis tendere. Cum ergo consilio Domini religionem ingrediens adhesisti, illud ne deseras si salutem tuam desideras, sed ex toto mundum relinque et quicquid ad eum pertinet, et totum appone conatum summamque diligenciam ut perfecte vivas.

Perfecte quidem vivere est, ut ait beatus Bernardus, vivere honorabiliter, amicabilem et humiliter. Humiliter quoad teipsum; amicabilem quoad proximum; honorabiliter quoad Deum, ut voluntatem eius tota intencione faciamus.

## 3. FROM GEOFFREY OF MONMOUTH

Habita ergo uictoria remansit Brennius in Italia populum inaudita tyrannide afficiens. Cuius ceteros actus et exitum quia Romane historie declarant nequaquam tractare curavi, cum nimiam prolixitatem huic operi ingessissem et id quod alii tractauerunt perarans a proposito meo diuertissem. Belinus uero in Britanniam reuersus est et cum tranquillitate reliquis uite sue diebus patriam tractauit. Renouauit etiam edificatas urbes ubicumque collapse fuerant et multas nouas edificauit. Inter ceteras composuit unam super Oscam flumen prope Sabrinum mare que multis

temporibus Kaerusc appellata metropolis Demetie fuerat. Postquam autem Romani uenerunt, prefato nomine deleto uocata est Urbs Legionum, uocabulum trahens a Romanis legionibus que ibidem hiemare solebant. Fecit etiam in urbe Trinouantum ianuam mire fabrice super ripam Thamensis quam de nomine suo ciues temporibus suis Belinesgata uocant. Desuper uero edificauit turrim mire magnitudinis portumque subtus ad pedem applicantibus nauibus idoneum. Leges patris ubicumque per regnum renouauit constanti iusticie indulgens.

#### 4. ST. AMBROSE WARNS THE EMPEROR AGAINST SUPPORTING PAGAN CULTS

Cum omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, uobis militent imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipsi uos omnipotenti Deo et sacrae fidei militatis. Aliter enim salus tuta esse non poterit, nisi unusquisque Deum uerum, hoc est, Deum Christianorum, a quo cuncta reguntur, ueraciter colat; ipse enim solus uerus est Deus, qui intima mente ueneretur: "Dii enim gentium daemonia," sicut Scriptura dicit.

Huic igitur Deo uero quisquis militat, et qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniuentiam, sed fidei studium et devotionis impendit. Postremo si non ista, consensum saltem aliquem non debet colendis idolis, et profanis caeremoniarum cultibus exhibere. Nemo enim Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt.

Ergo cum a te, Imperator christianissime, fides Deo uero sit exhibenda, cum <sup>SINT</sup> ~~sit~~ exhibenda ipsius fidei studium, cautio atque deuotio, miror quomodo aliquibus in spem uenerit, quod debeas aras diis gentium tuo instaurare praecepto, ad usus quoque sacrificiorum profanorum praebere sumptum.